

noch nicht verwertetes Material zu besitzen, oder er kam über den Zweifel betreffs Identität und Nichtidentität zu wenig hinweg und trug so das Gefundene der Sicherheit halber hier ein.

(Schluß folgt im nächsten Hefte.)

De Duodenario Numero in Scripturis Sanctis.

Dissertatio.

Scriptis Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Continuatio ad fasc. I./II. 1908, pg. 3—16.)

e) Quaecumque hactenus de duodenario numero sive fructuum Spiritus Sancti vel divinae gratiae in anima iusti, sive Apostolorum in societate Ecclesiae in hac dissertatione elucubravi, in duodecim gemmis quae Aaronis Rationale decorabant, significata esse videntur. Porro de Aaronis veste pontificia legimus Sap. XVIII, 24: „In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum; et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.“ Quid enim est quod in ea veste totus orbis erat et parentum magnalia, nisi quod in ritibus sacerdotii Aaronici altissima munia figurabantur sacerdotii Christi? Nec alia sane de causa Altissimus Deus, de quo dicit Apostolus: „Numquid de bobus cura est Deo?“ pontificiae vestis partibus vel minutis disponendis Exod. XXVIII occupatus perhibetur. De omnibus quidem cura est Deo, id est, providentia, sed aliter et aliter. Visibilia enim omnia creata sunt propter hominem, homo autem ad gloriam Dei. Unde comparete ad hominem creaturae inferiores quasi nihili fiunt apud Deum, cum propter hominem, non propter se existant, nec per se valeant, sicut homo, Deum glorificare. Et ideo Apostolus referens illud Deuter. 25: „Non alligabis os bovi trituranti“, subjungit: „Numquid de bobus cura est Deo? An non propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt.“ Similiter ergo, dum dixit Deus Moysi: (Exod. XXVIII) „Pones in eo (Rationali) quatuor ordines lapidum... Includi auro erunt per ordines suos;“ et similia, per talem Dei curam de vestibus sacerdotalibus legis veteris ministrorum Evangelii virtutes et excellentiam intellige commendatas. Observantias enim legis Mosaicae Apostolus umbram vocat futurorum, et hujus umbrae corpus, id est, veritatem ad quam veteres illae observantiae respiciebant, dicit esse Christum. Unde docet sacerdotium Aaronicum adveniente Christo abolitum esse, et consequenter abrogatam legem sub qua illud fuerat institutum; propter sacerdotii enim legisque connexionem necesse est ut mutato sacerdotio legis quoque mutatio fiat.

Et ideo Christus sacerdos in Scriptura dicitur non secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedech, de quo ait Apostolus: (Hebr. VII) „Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahae regresso a coede regum, et benedixit ei: cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiae; deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.“ Quare manet sacerdos in perpetuum? Quia assimilatus Filio Dei, nec praedecessorem in suo sacerdotio habuisse legitur nec successorem, et tamquam typus Christi pro gentilibus sacerdos fuit et pro hebraeis sicut Christus, nam et gentilis erat, et Abrahamo, hebraeorum patriarchae, benedixit, et eandem atque Christus hostiam, videlicet, panem et vinum, Deo obtulit. Propterea Apostolus addit: (ibidem) „Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum Legem, id est, a fratribus suis; quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione quod minus est, a meliore benedicitur.“ Si ergo Melchisedech secundum suum sacerdotium major fuit seu dignior Abrahamo, et consequenter Aaronem, qui etiam a Melchisedech benedicente Abrahamum, ex hujus lumbis nasciturus, benedictus fuit, manifestum est pluris facienda esse panem et vinum sacerdotis Melchisedech quam ritus omnes et pretiosae vestes Aaronis, quae umbra tantum erant futurorum, cum in sacrificio sacerdotis Melchisedech, ex parte materiae qua Christus usus est in sacrificio eucharistico quod in perpetuum durat in Ecclesia, ipsam inveniamus sacrificii Christi veritatem. Et quidem, sive de pane et vino sacerdotis Melchisedech, sive de vestibus Aaronis, Scriptura non loquitur nisi per respectum ad Christum. Itaque, si de bobus, juxta Apostolum, curam non habet Deus, multo minus cura ipsi erit de entibus vita carentibus, qualia sunt panis et vinum ac vestes lapidesque pretiosi. Ratio igitur cur Scriptura Deum inducit de qualitate vestis pontificiae ac dispositione partium ejus praecipientem Moysi, symbolica vestis ipsius significatio est de rebus altissimis ad sacerdotium Christi pertinentibus. Quas quidem Apostolus significat dicens: (Hebr. V) „Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.“ Iam vero, ut haec omnia pontifex rite adimpleat, debet habere in capite sapientiam

atque sanctorum prudentiam; in pectore charitatem qua et Deo devote ac fideliter famuletur, et hominibus ejus pastoralis opera indigentibus paterno subveniat affectu; in humeris denique fortitudinem ad portandum onus pastoralis officii, et quidem tantam, ut si opus fuerit, animam suam det pro ovibus suis. Ideo Aaron inter alia tiaram gestabat in capite, super humeros ephod, ac rationale in pectore. Porro, si principibus saecularibus, qui temporalia bona providere tenentur suis subditis, dicit Salomon Sap. VI: „Diligite lumen sapientiae omnes qui praestis populis,“ quanto magis Pontifices sapientia, et quidem divina, praeditos esse oportet, quibus erudiendorum ad justitiam hominum cura incumbit, et ad vitam perducendorum aeternam? Hanc divinam sapientiam significat Apostolus dicens: (I Cor. II) „Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus saeculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est.“ De fortitudine vero necessaria ad portandum onus pastoralis officii audiamus eundem Apostolum dicentem: (II Cor. IV) „Non nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Iesum . . . In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.“ Sed ut Praelati Ecclesiae inter persecutiones et passiones non languescant aut frangantur animo, quid facit nisi charitas? Et sane charitas patiens est, benigna est: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quid enim est fortitudo animi nisi, ut eam S. Augustinus definit, amor omnia propter Deum facile sustinens? fortis quippe est ut mors dilectio. Et charitas etiam est per quam scientia fructificat in animarum salutem: nam scientia sine charitate inflat; charitas vero aedificat. Charitas enim non aemulatur; non agit perperam; non inflatur; non est ambitiosa; non quaerit quae sua sunt; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. E quibus jam apparet cur duodecim gemmae rationale Aaronis decorabant in pectore. Charitati enim sunt adscribendi fructus omnes scientiae salutaris: charitati quoque robur animi ad toleranda propter serviendum Deo quaecumque temporalia mala: charitati denique viscera misericordiae ad benefaciendum proximo. Hinc est quod, etsi doctrina et veritas et iudicium non ad cor vel voluntatem, secundum actum potentiae elicitem, sed ad intellectum pertinent, pectorale tamen in quo Moyses duodecim gemmas ponere iubetur, vocatur rationale iudicii, et doctrina ac veritas inscribuntur in eo. „Pones in rationali iudicii, ait Dominus Moysi, Doctri-

nam et Veritatem, quae erunt in pectore Aaron, quando ingreditur coram Domino; et gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.“ Nam eo ipso quod pontifex pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, debet proferre iudicium secundum legem Dei ex amore Dei et proximi: qui autem ita sapientia sua utuntur, participes fiunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati, omnique sunt virtute conspicui ad gloriam Dei et aedificationem Ecclesiae. Et ideo duodecim gemmae, quae virtutes universas repraesentant, rationali inseruntur in pectore. „Pones in eo (rationali) ait Dominus Moysi, quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus: in secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis: in tertio ligurius, achates, et amethystus: in quarto chrysolitus, onychinus, et beryllus.“ ¹⁾ Fortasse ideo quater ponitur in rationali ternarius

¹⁾ Alius est ordo lapidum pretiosorum in fundamentis muri coelestis Ierusalem quae B. Ioanni ostensa est Apoc. XXI: ibi enim dicitur: „Fundamentum primum, jaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum amethystus.“ Cujus in ordine lapidum diversitatis ratio haec esse videtur, quia in muro coelestis Ierusalem lapides repraesentabant immediate Apostolos, quorum nomina in eis inscripta erant; in pectorali autem Aaronis repraesentabant immediate duodecim patriarchas filios Iacob, quorum nomina pariter habebant. Iam vero in filiis Iacob attenditur ordo nativitatis, non dignitatis aut meriti, prout expresse testatur Scriptura: dixit enim Dominus Moysi: „Sumes duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. Opere sculptoris et coelatura gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos; et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale fillis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem.“ De ordine autem Apostolorum in muro coelestis Ierusalem nihil dicit Scriptura. Sed cum symbolica muri significatio referatur immediate ad Ecclesiam Christi militantem, ideo jaspidi, qui in pectorali Aaronis ponitur sexto loco, congruit ibi primus locus, quia per eum significatur fides, et Petrus ratione fidei, juxta expositionem quam supra dedimus, hujus loci Apocalypseos. Verum, excepto Petro ratione primatus, Apostoli omnes pares fuisse videntur dignitate atque officio, praescindendo tamen a merito cujusque apud Deum. Possunt autem nihilominus pretiosi lapides muri coelestis Ierusalem assignari per ordinem singuli singulis Apostolis, spectata in unoquoque illorum ea virtute quae peculiari quodam modo in eo effulsisse videatur. „Primus jaspis notat Petrum, ait Cornelius A Lapide (Comment. in Matth. cap. X), ob firmitatem fidei: secundus sapphirus Andream, ob coelestem vitam et mores: tertius chalcedonius sive carbunculus Iacobum, zelo ardentem: quartus smaragdus Ioannem, virentem et virginem: quintus sardonyx Philippum, ob candorem animi: sextus sardius rubeus Bartholomaeum excoriatum: septimus chrysolithus marini coloris Matthaeum poenitentem: octavus beryllus politus Thomam, a Christo in fide resurrectionis expositum et solidatum: nonus topazius Iacobum Minorem, aurea sanctitate radiantem: decimus chrysoprasus Iudam Thaddaeum, qui instar porri acri sapientia insectatur haereticos: παράσον enim est porrum; undecimus hyacinthus Simonem Chananaeum, ob mores suavissimos: duodecimus amethystus humilem minimumque Mat-

numerus lapidum quia unaquaeque ex quatuor virtutibus cardinalibus per tres theologales supernaturalis efficitur, et supernaturali motivo vel fine exercetur. Possunt autem et fructus Spiritus Sancti in anima iusti per hos duodecim lapides figurari; siquidem hi fructus, ut superius dixi lit. b), actiones sunt vel affectiones sanctae, e quibus, uti e fructibus arbor, hominis virtus dignoscitur, et ex vita animae prodeunt, de naturali in supernaturalem per divinae gratiae fermentum transformata. De quibus dixit Dominus Iesus principibus sacerdotum et Pharisaeis: „Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus,“ genti videlicet quae non in carnis sed in cordis circumcisione gloriatur; nec in sola lege divinitus accepta, sed in fide quae per dilectionem operatur. Nihil enim ad perfectum adduxit lex quae per Moysen data est; quia gratia et veritas per quam Deus in spiritu et veritate adoratur, non per Moysen, sed per Iesum Christum facta est. Lex quidem sancta est; et mandatum legis sanctum est secundum cultum, quem praescribit, erga Deum; et justum est secundum justitiam erga proximum; et bonum est secundum sobrietatem et continentiam erga

thiam.“ Equidem hic est ordo Apostolorum quo eos recenset Matthaeus cap. X, excepto quod ipse se postponit Thomae, cui forte sit praeponendus, uti praeponunt Lucas et Marcus. Certo autem non constat quaeenam gemma cuique Apostolo conveniat, cum ordo Apostolorum ab Evangelistis varietur. Singulos quoque lapides Rationalis Cornelius a Lapide singulis adaptat patriarchis filiis Iacob secundum indolem uniuscujusque ipsorum. Iam vero, eo ipso quod lapides muri coelestis Ierusalem repraesentabant immediate Apostolos, repraesentabant pariter immediate christianas virtutes; nam Apostoli repraesentabantur in eis tamquam fundamenta Ecclesiae, et consequenter tamquam viri perfecti; et e contrario lapides Rationalis, cum in eis non repraesentarentur Apostoli nisi mediate seu per duodecim filios Iacob, virtutes pariter non significabant nisi remote. Et haec forte est ratio cur in filiis Iacob attenditur ordo nativitatis, non dignitatis, quoad collocationem lapidum.

Non solum autem diverso ordine exhibentur collocati lapides Rationalis et lapides muri coelestis Ierusalem, sed insuper chalcodonius, sardonyx, chrysoprasus et hyacinthus, quos B. Ioannes vidit in muro, in Rationali non inveniuntur, iisdem saltem nominibus in Scriptura expressi. Verum chalcodonius Apocalypsis, ait ipse Cornelius, respondet carbunculo Rationalis, cui colore est similis. Ligurius Rationalis verisimiliter est hyacinthus Apocalypsis, qui ob admirandam pulchritudinem suam antonomastice vocatur ligurius a nominis etymo; *λιγυρον* enim Graecis suave, jucundum significat. Achatu Rationalis in Apocalypsi respondet chrysoprasus, ita dictus, quod porri succum colore suo referat: idem pallore suo ad nigredinem accedit, aureis intervenientibus guttis; unde corallachati affinis est. Ita Cornelius. De onychino autem Rationalis, de quarto loquens ordine lapidum, haec scribit: — Secundus est onyx, ita dictus ab unguis humani similitudine. Hic significat Manassem, ob morum candorem et humanitatem: unde et in Apocal. datur Philippo. De onyche ita scribit Anselm. Boetius l. 2. de Gemmis cap. 91, 92 et 93: „Sardonyx est, dum onychi sardius adjunctus est“ Onyx et sardonyx hodie a gemmariis *n i c o l u s* vocantur. — (Conf. quae ipse Cornelius Comment. in Exodum cap. XXVIII disputat de singulis gemmis). Unde onychinus Rationalis lapis ille est qui in Apocalypsi vocatur sardonyx.

seipsum: nec defuit Hebraeis gratia Spiritus Sancti, qua, si vellent, salvari et sanctificari possent; quod B. Stephanus testatus est dicens ad Iudaeos: „Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos.“ Verum copiosa effusio Spiritus Sancti ad sanctificationem populi temporibus Messiae reservata est: et in hoc sensu Spiritus non fuit datus antequam Iesus fuerit glorificatus: et in eodem sensu locutus est Deus de temporibus Messiae dicens per prophetam Ioel: „Effundam spiritum meum super omnem carnem.“ Non tamen defuerunt omnino iusti in populo Dei ante adventum Christi, et eodem quidem spiritu sanctificati atque iusti novae Legis. Sed generaliter de populo ipso dicendum est quod Apostolus eis exprobrabat, quod nimirum in lege gloriantes, per praevaricationem legis Deum inhonorabant. Nec soli plebi hoc imputandum est, sed senioribus etiam populi et sacerdotibus: ideo B. Stephanus, adductus in concilium, et interrogatus a principe sacerdotum, dixit eis: „Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui praenuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis: qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.“ Sed Dominus Iesus Christus, prout apud Malachiam legimus divinitus promissum, purgavit filios Levi, et colavit eos quasi aurum et quasi argentum; et sunt jam Deo offerentes sacrificia in iustitia. „Lex enim, ait Apostolus Hebr. VII, homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurandi qui post Legem est, Filium in aeternum perfectum.“ Itaque ministri quos Christus creavit in Ecclesia sui sacerdotii atque perfectionis participes, ipsi sunt qui gemmas virtutum gestant in pectore; ac per tales quidem pastores Ecclesia fit lignum vitae per singulos menses afferens fructum, cuius folia deserviunt ad medicinam et sanitatem gentium. In Apocalypsi cap. XXII, et apud Ezechielem cap. XLVII hanc figuratam locutionem invenimus scriptam. De aquis enim quas vidit Ezechiel a templo manantes, dixit ei Angelus Domini: „Super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquae ejus de sanctuario egredientur: et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam.“ Et similiter in Apocalypsi dicit B. Ioannes: „Ostendit mihi (Angelus) fluvium aquae vitae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.“ Non est alia origo aquarum e templo Ezechielis manantium, et alia aquarum Apocalypsis procedentium de sede Dei

et Agni; nam ab uno eodemque Spiritu Ecclesia militans atque triumphans sanctificantur. Nec aliud est torrens Ezechielis, et aliud fluvius Apocalypsis; non modo quia uterque est communicatio Spiritus Sancti, sed etiam quia fluvius Apocalypsis in Ps. XXXV nomine torrentis designatur ubi dicitur: „Inebriabuntur ab ubertate domus tuae; et torrente voluptatis tuae potabis eos“: ac de eodem dicitur Ps. XLV: „Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.“ In ratione fluminis magnam aquarum copiam considera atque fluenta perennia: per torrentem vero earundem aquarum impetum significatum intellige. Porro quum appareat nobis gloria Dei, quasi repentina inundatione fluenta divinae gratiae atque sapientiae, e monte divinitatis descendunt, rapiunt animos nostros in amorem ac fruitionem summi boni: nec torrens iste siccabitur umquam, sed aquae ejus aeternaliter ac eodem semper impetu decurrent ad perfectam felicitatem sanctorum. Quod vero ad fructus attinet arborum quae torrentis ipsius aquis irrigantur, disparitas est inter Ecclesiae triumphantis arbores ac militantis. Non enim fluenta divinae gratiae quasi spontanea emanatio sunt ex necessitate divinae naturae; sed Spiritus Sanctus, qui dona sua dividit singulis prout vult, magna voluptatis abundantia sanctos beat in coelis: justis vero in terra degentibus, ubi innocentiae poenitentia consocianda est, sanctitatem suam quidem communicat, eosque plus minus consolatur atque laetificat; sed non omnino beatificat donec ad terminum perveniant peregrinationis suae super terram. Alia insuper invenitur differentia inter arbores militantis Ecclesiae ac triumphantis, quod videlicet arbores coelestis Ierusalem non plantantur ibi secus decursus aquarum ut vivan; et fructum afferant simpliciter, siquidem jam in terra erant ipsae viventes atque frugiferae; sed ut fructus earum sint uberrimi et omni ex parte laetissimi. In terra vero arbores ipsae non fructificant nisi prius sanentur: de qua sanatione dixit Deus per Ezechielem: „Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.“ Propter quod idem Propheta dicit: (cap. XLVII) „Et ait (Angelus) ad me: Aquae istae quae egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exhibunt, et sanabuntur aquae. Et omnis anima vivens quae serpit, quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquae istae, et sanabuntur et vivent omnia ad quae venerit torrens.“ Hoc autem est quod clarius Dominus Iesus dixit Nicodemo: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.“ Cum enim aqua ad lavandum deserviat, placuit Deo aquam adhiberi ad operandam sanctificationem hominis per infusionem Spiritus Sancti, per quam a peccato mundamur. Porro aquae illae torrentis Ezechielis, quae intrantes mare sanant aquas maris, fermentum illud Evangelii sunt de quo superius locuti sumus, quod nempe acceptum

mulier abscondit in farinae satis tribus donec fermentatum est totum: sunt nimirum gratia Spiritus Sancti per quam naturalis vita animae nostrae in supernaturalem ac divinam transformatur. Postquam enim aquae torrentis intraverunt mare, sunt in mari pisces multi; et vivunt omnia ad quae venit torrens: id est, postquam datus est nobis Spiritus Sanctus, vivit Deo anima nostra, quia vitae hujus causa formalis supernaturalis est gratia Dei. Dei gratia, inquam, vivificat nos, non praedicatio veritatis: quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Nihilominus, quia etiam praedicationi veritatis causalitas aliqua vivificationis hujus tribuenda est, juxta illud Apostoli ad Corint.: „In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui“; ideo aquae torrentis Ezechielis, etsi primario significant dona Spiritus Sancti quibus animae sanctificantur, secundario significare possunt praedicationem Evangelii et expositionem totius Scripturae Sanctae. Loquitur enim Ezechiel allegorice de Ecclesia militante, ut patet per aquas quae sanandae erant, ut pisces viverent in eis: nam in Ecclesia triumphante non confertur simpliciter vita spiritualis, sed consummatur; quos enim justificat Deus in terra, hos et glorificat in coelo. Aquae vero fluvii Ecclesiae triumphantis, quae, cum jam sit in possessione finis, non debet mediis uti quibus homo assequitur finem, sola denotant dona Dei quibus beati formaliter perficiuntur. E qua quidem perfectione fructus oriuntur qui sunt in cibum eorum, et folia quae deserviunt ad sanitatem gentium. Apud Ezechielem quidem legimus, non in Apocalypsi, quod fructus ligni sunt in cibum; sed in Evangelio (Luc. XXII) dicit Iesus discipulis suis: „Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.“ Unde etiam in coelesti Ierusalem fructus arborum sunt in cibum. Cibum autem beatorum ipse est quem Dominus Iesus, in terris agens, discipulis suis dixit esse suum: „Meus cibus, inquit, est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.“ Et sane, cum fluentia aquarum quibus arbores coelestis Ierusalem irrigantur, communicatio sint spiritus Dei, consequens est, fructus irrigationis hujus internos esse affectus quibus beati adhaerent Deo, unusque spiritus fiunt cum eo; et proinde gaudium quoque et pacem deliciasque beatitudinis divinae. Sunt etiam cibus justorum in via fructus Spiritus Sancti; non tamen in ea plenitudine qua beati fruuntur in patria, nec sine admixtione dolorum. Fortitudinem autem justis praebet cibus iste coelestis ad superandas et patienter tolerandas mortalis vitae hujus tentationes atque molestias, quo durante peregrinatione non deficiant, sed quemadmodum Elias cibo quem Angelus ei ministravit, confortatus, ambulavit usque ad montem Dei Horeb, et ipsi ad patriam coelestem feliciter perveniant. De talibus dicit Dominus: (Ier. XVII) „Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod

transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit cum venerit aestus. Et erit folium ejus viride; et in tempore siccitatis non erit sollicitum; nec aliquando desinet facere fructum.“ Qui enim confidit in Domino, neque urgentibus concupiscentiae stimulis in malum flectitur, nec etiam deficiente consolatione coelesti frangitur animo; sed arbor bona semper est, et externis actibus virens foliis, et fructus faciens optimos internis cordis affectibus. Insuper de foliis utrobique dicitur, apud Ezechielem nempe et in Apocalypsi, semper ea in virore esse: et apud Ezechielem quidem facile intelligitur ea esse in medicinam; hoc enim est quod significavit Dominus Iesus dicens discipulis suis: (Matth. V) „Vos estis sal terrae . . . vos estis lux mundi“: sed difficultas est, quoad arbores coelestis Ierusalem, circa sensum quo earum folia ad sanitatem gentium esse dicuntur. Quarum gentium? Non beatorum: nam beati, non secus ac justi in terra, sani sunt ex fructibus, ut supra ostendimus, non ex foliis. Fortasse gentes istae infantes sunt qui cum originali peccato ex hac mortali vita decedunt. Tali enim peccato non alia deberi poena videtur nisi privationis, quatenus iis bonis omnis homo spoliatus nascitur quae humana natura in Adamo peccante amisit.¹⁾ Hoc tamen intellige, spectata peccati poena ex

1) Omne peccatum est actus voluntatis subjecti peccantis, et non alterius: unde etsi Apostolus dicit (Rom. V) quod omnes in Adam peccavimus, hoc tamen non est intelligendum de ipso actu peccati Adami formaliter. Et ideo peccatum hoc, secundum quod moraliter de eo participant et Adae posterius, vocatur originale per oppositionem ad personale, quia secundum actum aversionis a Deo in solo extitit Adamo. Secundum actum dixi, quia secundum habitum aversio a Deo, ex peccato Adami, existit etiam in posteris ejus. Nam aversio a Deo secundum habitum dupliciter intelligi potest, videlicet: vel de statu subjecti cujus est actus peccati eundem actum consequente; vel de statu subjecti cujus non est actus peccati, quodque nihilominus participat de peccati effectu formali, qui est privatio gratiae et amicitiae Dei. Et sic intellecta aversio a Deo est quod vocatur peccatum originale. In quo quidem aversionis modo, ad intelligendum quid sit peccatum originale, consideranda est et privatio gratiae Dei et privationis ejusdem causa; repugnat enim bonitati Dei creaturam abjicere absque ulla causa ex parte ipsius creaturae; nam voluntas Dei per se non intendit nisi creaturae bonum. Iam vero causa privationis gratiae Dei in posteris Adae ob peccatum ipsius Adae alia esse nequit nisi relatio illorum ad eum secundum originem vel carnalem generationem; nam si peccatum accipiatur ut personale in Adamo, nequit, ut sic, suum effectum formalem habere nisi in ipso. Quae quidem relatio omnium hominum ad Adam secundum originem naturalis est; at non ideo necessarium est omnes homines, nullo excepto, culpae Adami reatum contrahere; per solam quippe Dei voluntatem potest quis ab hujusmodi reatu contrahendo liberari. Iam vero in subjecto cujus est actus peccati, non tollitur peccati reatus nisi per poenitentiam ex parte subjecti ejusdem et per culpae condonationem ex parte Dei: de peccato autem originali seu non personali nemo poenitere debet, et ideo ad illud tollendum sufficit culpae condonatio ex parte Dei. In culpa autem originalis condonatione distinguere oportet restitutionem hominis ad pacem cum Deo et lapsus reparationem restitutis etiam bonis per peccatum amissis: poterat enim Deus

actione solius Dei; nam ex hominum ignorantia et concupiscentia innumera sunt mala, sive physica sive moralia, quae in hac mortali vita peccatum originale, Deo juste permittente, subsequuntur, et etiam post mortem in iis qui ad rationis usum pervenientes ac Dei mandata transgressi, poenitentiam non agunt. Quicumque ergo ante rationis usum cum originali culpa ex hac vita migrarunt, supernaturali tantum beatitudine privantur, quae haereditas est filiorum Dei per adoptionem, inter quos infantes illi, utpote supernaturali carentes gratia Dei, non computantur. Saltem Dominus Iesus nihil damnationis pronuntiavit, si praefatam privationem excipias, adversus eos qui simpliciter carent supernaturali gratia Dei absque culpa personali, sed dixit tantummodo eos non fore participes regni Dei: hoc enim est quod Nicodemus ab eo audivit dicente: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.“ Dum vero spiritualement animae regenerationem per gratiam cum meritis conjungit personalibus adultorum dicens: (Marc. XVI, 16) „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur“, aperte docet et ambo necessaria esse ad supernaturalem salutem, et solis veritati resistentibus damnationem absolute intimari. Considerandum enim est, aliud esse redemptionem humani generis per Christum, aliud vero spiritualement ejusque hominis regenerationem per applicationem meritorum Christi: per hanc enim filii Dei constituimur et haeredes regni coelorum; per illam vero Deus, qui peccato Adae humano generi erat infensus, factus est eidem propitiis satisfactione Christi, ut quidquid per peccatum primi parentis homines amiserant, majore cum gloria recuperare valeant, juxta illud Apostoli: (Rom. V) „Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui

Adamo poenitenti et universo etiam humano generi culpam remittere, ac eos supernaturali gratia sua privatos in statu naturae purae relinquere, ac demum naturae integritatem in naturali beatitudine iis qui recte egissent, restituere. Quo quidem in casu privatio gratiae supernaturalis in posteris, Adae et in ipso Adam non constitueret statum aversionis a Deo prout modo constituit, quia lapsus hominis ex integro reparatus est, et consequenter pacem habere cum Deo et supernaturali frui gratia ejus sunt unum indivisibile propter unum supernaturalem hominis finem. In illa, inquam, hypothesi privatio gratiae supernaturalis non constitueret statum aversionis a Deo, quamvis aversionis ipsius esset effectus: et ratio est, quia posset homo servire et placere Deo in statu naturalis tantum perfectionis et in ordine ad naturalem beatitudinem. Similiter ergo in infantibus qui cum originali culpa ex hac vita decedunt, etsi privatio gratiae supernaturalis est aversio a Deo, quamvis animae reputatur secundum supernaturalem hominis finem; propter Christi saltem satisfactionem, qua Deus, peccato Adami offensus, factus est humano generi propitiis, perfectio humanae naturae congrua, sublata corporis corruptione atque peccati fomite, in altera vita recuperanda videtur, ut in naturali beatitudine Deo servire atque placere possint qui ab eo per peccatum personale non recesserunt. In quo proinde statu privatio gratiae supernaturalis jam non erit aversio a Deo, et aequiparabitur simplici carentiae.


sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. " Et similiter aliud est relatio originis omnium hominum ad Adam, secundum quam omnes in eo peccavimus, aliud vero reatus peccati quem ex Adamo contrahit unusquisque hominum: hic enim reatus non tollitur nisi per actualem applicationem meritorum Christi ad determinatum hominem, quod ipse Dominus significavit dicens: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei“; spectata vero relatione originis omnium hominum ad Adam, peccatum originale ab universo humano genere ablatum fuit statim ab Adami lapsu, ex quo nempe promisit Deus Redemptorem cujus meritis factus est homini placatus. Iam enim tunc Redemptor alligavit Diabolum, qui nunquam nocere potuit nisi volentibus vel accedentibus ad eum: Deus enim qui vult omnes homines salvos fieri, omnes in simplicitate cordis ambulantes coram eo propter merita Redemptoris sanctificavit ab initio, nec nisi in malevolas animas dominatus est umquam humani generis hostis. Unde non praecise ob originale peccatum, sed ob peccata personalia filiorum Adae imperium habuit Satanias in universum mundum usque ad Christi adventum per quem ejectus est foras. Ideo autem in adventu Christi, et non antea, ejectus est foras, quia etsi semper Deus serio voluit homines salvos facere, donec tamen Filius suus, per quem salvati sumus, appareret in carne, spiritum suum in homines copiose non effudit, sed omnia conclusit in incredulitate, ut omnium miseretur, id est, tam Hebraeos quam populos reliquos peccatores esse permisit, ut misericordia sua omnes indigere ostenderet et gratia Christi, per quam sanctificati sunt populi in lege Evangelica, et formata est Ecclesia Christi Sponsa. Porro in Evangelio (Matt. XII, 29) haec scripta sunt relate ad Christi de Diabolo victoriam: „Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiet?“ Domum fortis diripere vel spoliare est Diaboli in mundo imperium per populi sanctificationem evertere; quae proinde spoliatio jam in primorum parentum liberatione inchoata est, quia quot homines a mundi exordio Christus salvos fecit, tot, juxta Evangelii locutionem, fortis vasa diripuit. Et consequenter, etsi respectu mundi, in quo propter hominum malitiam imperavit, non est alligatus Diabolus usque ad Christi adventum, verum ex parte Christi et in gratiam eorum qui quavis mundi aetate salvi facti sunt, alligatus est ab initio. Itaque universum genus humanum pertinet ad Christum titulo redemptionis, et soli subjacent potestati Diaboli qui malitia sua servi peccati fiunt. Infantium vero mala physica et privatio regenerationis spiritualis tum statui humani generis primorum parentum lapsum consequenti, tum peccatis debentur adultorum. Illaque non sine causa, Deo permittente, eveniunt: vult enim Deus ut naturalis rerum ordo ser-

vetur; et ideo permittit ut infantes, qui sui juris non sunt, sed dependentes a parentibus suis, et alieno subsidio in omnibus indigentes, vel ex naturalibus defectibus et miseriis parentum suorum, vel ex eorum aut aliorum incuria, ignorantia aut malitia, non solum temporalia mala patiantur, sed privationem quoque supernaturalis gratiae Dei et vitae aeternae. Post hanc autem mortalem vitam nihil mali ob solum originale peccatum quisquam hominum passurus esse videtur; quia cum per Christi redemptionem factus sit Deus propitijs humano generi, originalis peccati post hanc vitam non habebitur ratio apud Dei iudicium, et solummodo privabuntur supernaturali beatitudine qui spirituali regeneratione non accepta ex hac vita migrarunt. Et ipsi erunt possessio Christi, ut infertur ex dictis, nec aliquid in eos poterit Diabolus; redempti enim fuerunt a Christo sicut caeteri homines; et proinde, etsi non intrabunt in regnum Dei, quia non erunt filii ejus adoptivi, at potestati Diaboli non subiacebunt, utpote personalis culpa expertes. Quibus consequenter, tamquam in fine, ut supponitur, constitutis, beatitudo congruit naturalis, quae essentialiter non nisi in cognitione et amore Creatoris, sicut supernaturalis, consistere potest, quaeque proinde non compatitur secum concupiscentiam, seu peccati fomitem, quoniam concupiscentia voluntatis divinae in actibus nostris adimptionem, spectata humanae conditione naturae, difficilem reddit ac laboriosam, et in hac mortali vita relicta est ad agonem. Non solum autem ab hac naturali beatitudine removenda sunt impedimenta amoris ac servitii Dei, sed insuper asserenda sunt ei subsidia ex parte Dei quibus in morali rectitudine tales homines perpetuo perseverent. Iam vero, quemadmodum ad nostram custodiam Deus angelos destinavit, qui futuri sunt in coelis consortes et concives nostri, ita non incongruum videtur ut glorificati homines, qui per Universi sphaeram tamquam scintillae in arundineto discurrunt, praefatos homines naturali beatitudine fruentes, quibus in hac mortali vita similes et proximi fuerunt, tamquam Christi ministri ab omni malo custodiant, ac sua visibili praesentia et auctoritate in justitia confirmant. Et hoc salutare ministerium significare possunt folia arborum coelestis Ierusalem, quae B. Ioannes esse dicit ad sanitatem gentium. Ad sanitatem autem simpliciter erunt, non ad medicinam, quia non supponent, in gentibus defectus corrigendos, sed justitiam conservandam. Contra vero apud Ezechielem folia arborum ad medicinam esse dicuntur: quia Ecclesiae militantis pastores et doctores, qui per arbores istas designantur, non modo sunt sal terrae et lux mundi ut eos qui justificati jam sunt per Dei gratiam, a concupiscentiae praeservent corruptione, sed ad corrigendos etiam depravatos hominum mores, erroresque mundi a mentibus hominum propulsandos. — Et jam apparet, ex hucusque dictis in praesenti paragrapho, cur de Aaronis veste pontificia

scriptum sit Sap. XVIII. 24: „In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum; et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta; et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat“: quia videlicet in materiali veste Aaronis discipulorum ac ministrorum Christi, qui ejusdem Christi spiritum induti, sunt sal terrae atque lux mundi, figurabantur virtutes, excellentia et gloria.

¶ Quos rursus in duodecim stellis quibus ornata in capite apparuit B. Ioanni mulier illa Apocalypsis, quae insuper amicta sole esse dicitur, repraesentatos fuisse non immerito opineris. „Signum magnum, ait Ioannes, apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.“ Haec autem mulier tum ex ejus quod citatis verbis continetur, triplici elogio, tum ex aliis quae Ioannes de ipsa scribit, Ecclesia Christi esse ostenditur. Merito quidem signum Ecclesiam Christi repraesentans signum magnum esse dicitur; nam signum est rei maximae omnium quae fecit Deus, et propter quam caetera omnia facta sunt, juxta illud Apostoli: (I Cor. c. 3) „Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei“. Porro Christus et Ecclesia non distinguuntur inter se, sicut non distinguitur caput a corpore cujus caput est. Quemadmodum enim vir caput est mulieris, ita, docente Apostolo, Christus caput est Ecclesiae: et ideo de corpore loquens Ecclesiae, (I Cor. c. 12) illud ipse Apostolus dicit esse Christum, non distinguens inter Christum et Ecclesiam. „Sicut enim, ait, corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus.“ Iam vero corpus Ecclesiae ideo sol vestit quia Ecclesia domus est quam divina Sapientia aedificavit sibi, quamque proinde claritas illustrat omnipotentis Dei. Lunam autem habet Ecclesia sub pedibus suis quatenus id ipsa amante quod Deus praecipit, id desiderante quod promittit, inter mundanas varietates ibi justorum fixa sunt corda ubi vera sunt gaudia. Et quidem eo ipso quod est amicta sole, habet Ecclesia sub pedibus lunam; quoniam scriptum est: (Eccli. XXVII, 12) „Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus ut luna mutatur.“ Etsi enim homo numquam in eodem statu permanet, Ecclesia tamen, quae ex hominibus componitur, eadem semper est, eademque semper facie, sicut sol, hominibus apparet; quoniam vivit de spiritu Dei, de cujus proinde immutabilitate participat. Notandum enim, signum illud magnum quod Ioannes vidit in coelo, non solam triumphantem Ecclesiam repraesentasse, sed et militantem, ut Ioannis textum legenti patebit. Nam et Ecclesia militans coelestis est, imo divina, secundum spiritum qui eam vivificat; nec a triumphante distinguitur nisi tamquam pars a parte unius et ejusdem corporis. Quoad duodecim denique stellas quibus caput Ecclesiae, id est, Christus, coronatur,

considerandum est, quod B. Paulus II. Cor. c. 8 dicit apostolos ecclesiarum esse gloriam Christi; et quod Dan. XII dicitur: „Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.“ Unde, quamvis Ecclesiae pastores et doctores pertinent ad corpus Christi, juxta illud quod ipse dixit discipulis suis: „Ego sum vitis, vos palmites“; sunt tamen et corona Christi, sicut fideles corona pastorum, juxta illud Apostoli: (Philip. IV, 1) „Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea“ . . . ; sicuti etiam mulier diligens corona est viro suo. Praecipue tamen duodecim stellae repraesentant Apostolos, qui tamquam Christo proximiores plus de illius sanctitate atque sapientia participant. Verum eo ipso universitatem significant pastorum Ecclesiae, cum duodenarius numerus ad universitatem designandam adhibeatur in Scripturis, et eadem de causa duodecim elegerit Christus ad Apostolatus officium.

g) Restat ut de duodecim sedibus pauca dicamus super quas sessuros dixit Dominus discipulos suos ad judicandum duodecim tribus Israel. De hisce sedibus S. Augustinus ita scribit: „Si duodecim sellae ibi sunt, non est ubi sedeat tertius decimus Paulus Apostolus, et non erit quomodo judicet; et ipse se judicaturum dixit non homines tantum, sed et angelos Non solum ergo illi duodecim (Apostoli) et Apostolus Paulus, sed quotquot judicaturi sunt, propter significationem universitatis ad sedes duodecim pertinent.“ Confirmatur id ipsum, quia sicut duodecim tribus Israel judicandae dicuntur, etsi non solae tribus istae judicandae sunt, sed omnes gentes; similiter, quamvis non soli Apostoli judicaturi sunt, sed omnes qui similes eis sunt in sequendo Christum, propter significationem tamen universitatis in duodenario numero duodecim Apostoli judicaturi dicuntur. — Ex his colliges, sicut e reliquis omnibus quae de duodenario numero in hac dissertatione elucubravimus, quam apte et pulchre S. P. N. Benedictus duodecim in sua regula posuit humilitatis gradus. Si enim tanta est in homine virtus christiana quanta est humilitas in corde ejus, siquidem humilibus Deus dat gratiam; et quanta pariter fuerit hominis humilitas in hac mortali vita, tanta erit ejus in coelis gloria, dicente Domino: „Qui se humiliat, exaltabitur“; consequens est ut quemadmodum per duodenarium numerum universitas designatur virtutum et praeiorum ipsis respondentium, sic pariter totus progressus in humilitatis exercitio duodecim gradibus comprehendatur. 

h) Propter easdem quas in hac dissertatione exposuimus rationes, invenitur duodenarius numerus in aliis locis vel rebus Sacrae Scripturae: e. g. in titulis quos erexit Moyses ad sacrificia (Exod. XXIV, 4): in fontibus Elim (Exod. XV, 27): in panibus propositionis (Lev. XXIV, 5). Nam tituli quos Exod. XXIV Moyses aedi-

ficasse dicitur, ideo duodecim fuerunt, quia sacrificia propter quae erecti fuerant, pro duodecim tribubus Israel offerebantur. Duodecim autem fuere fontes Elim, quibus Hebraeorum animi, ex Mara, id est, amaritudine, venientium, recreati sunt, quia duodecim Apostolos Christi figurabant, a quibus Evangelii doctrina salutaris ad omnes gentes manavit. Duodecim denique fuerunt panes propositionis, qui una cum thure et sale quae illis imponebantur, offerebantur Domino; per quos universa opera charitatis et misericordiae possunt designari, quae cibus sunt animae sanctae (sicut supra lit. e) de duodecim Spiritus Sancti fructibus diximus) juxta illud verbum Christi Iesu: „Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus“, ut videlicet quaeram et salvum faciam quod perierat. Sed opera charitatis non sine sale mortificationis atque thure orationis offerenda sunt Domino: propter quod dixit S. Rafael ad Tobiam: „Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna“.

Die Geschichte der ehemaligen Benediktinerabtei Lubin von ihrer Gründung bis zu ihrer ersten Zerstörung im Jahre 1383.

Von Josef Paech, Priester der Erzdiözese Gnesen-Posen.

(Fortsetzung zu Heft 1/2 1908, S. 16—57.)

II. Abschnitt.

Die Entwicklung des Klosters Lubin von seiner Gründung bis zum Ende des 14. Jahrhunderts.

Nach der Regel, die der hl. Benedikt seinen Mönchen gab, war der Benediktinerorden zur Arbeit verpflichtet.¹⁾ Die Arbeit jedoch ist ihrem Wesen nach eine doppelte. Sie lenkt den Blick des Menschen auf seine Umgebung, auf die Natur, und beansprucht seine Kräfte für die Bewältigung und Bebauung derselben; andererseits wirkt sie im Geiste, entfaltet und beschäftigt die geistigen Fähigkeiten des Menschen. So sollte auch die Arbeit des Ordens eine doppelte sein. Auch er sollte die Hände regen, um die wilde Natur zu bezwingen und ihr alles abzuringen, was sie bot; dann aber sollte er auch den Geist bebauen, er sollte sich mit wissenschaftlicher Arbeit beschäftigen, ein Leben des Geistes führen und andere belehren. Das sind die beiden Zweige der Tätigkeit, auf die er angewiesen wurde.²⁾

¹⁾ Benedicti regula monachorum ed. Woelfflin Lipsiae 1895, cap. 48. De opera manuum cotidiana.

²⁾ Vgl. Brandes, Der Benediktinerorden nach seiner welthistorischen Bedeutung, p. 8.